

prævidet futuras esse congruas, aliis vero quas prævidet futuras esse inefficaces, aliter voluisse unum quam aliud; nam vocationes congruas directe voluit et ordinavit; quatenus vero incongruæ sunt, non illas voluit, nec procuravit, sed tantum permisit, quia oculi ejus mundi sunt, ne videant malum seu defectum, utique volendo, vel applicando, sed tantum permittendo; nemini autem occasionem præbendo ut in vacuum gratiam recipiant, sed relinquendo illam, seu non auferendo, sed liberum ac contingentem cursum causarum permittendo, quia nec tenetur causarum ordinem immutare, nec abundantiora auxilia præbere quam necessaria sint. Nec etiam debuit auxilia sufficientia denegare his quos videbat male illis esse usuros, quia illa erant necessaria ad liberum usum voluntatis, et ut defectus salutis talium hominum non posset Deo imputari. Itaque illa distributio auxiliorum in quibusdam ostendit singularem Dei gratiam et benevolentiam, in aliis vero justitiam, in utrisque vero mirabilem providentiam, quæ non excusat eorum hominum negligentiam, qui sufficienti auxilio cooperari contempserunt. Et ideo, licet verum sit, cui Deus non donat efficax seu congruum auxilium, libera voluntate non dare, non inde sequitur Deum esse causam cur auxilium sit inefficax, sed solum sequitur prævidisse Deum, ex voluntate hominis futurum fuisse ut non habeat effectum, et nihilominus voluisse illud dare, permittendo illum defectum, et noluisse alium dare quod præsciebat habiturum fuisse effectum, quæ sunt inscrutabilia judicia Dei, quæ Augustinus utique scrutari non audeat, sed admirari.

17. *Respondetur ad testimonia Patrum alata.* — Quo sensu dari dicatur gratia minime idoneis ei capiendæ a sancto Augustino. — Atque hoc uno verbo responsum est ad testimonia in contrarium inducta; in primo enim loco, ex q. 2 ad Simplician., de hac distributione vocationum congruæ vel incongruæ aperte loquitur, et illam refert in divinam voluntatem et liberam electionem, quod verissimum est modo declarato. Et huic sensui congruunt cætera quæ ibi Augustinus disputat. Cum autem dicit ad quosdam pervenire vocationem, quæ talis est qua moveri non possent qui ei capiendæ non reperiuntur idonei secundum præscientiam, dictum est non secundum intrinsecam incongruitatem vocationis, nec secundum intrinsecam impotentiam voluntatis ad operandum cum tali vocatione; nam

revera simpliciter, et (ut aiunt) in sensu diviso, potuissent sic vocati venire, et vocationi sese accommodare cum gratia Dei cooperante, quæ illis præsto fuisset, si per eos non stetisset, ut satis in cap. 2, 3 et 4 probatum est. Tamen, quia Deus talem vocationem illis hominibus dare voluit, præsciens illos non fuisse consensuros vocationi, ideo dicitur data illis vocatio, qua in sensu composito moveri non possent, seu, clarius, qua ita possent ut de facto non essent bene illa potestate usuri. Eodemque modo tali vocationi capiendæ non erant idonei secundum præscientiam, aut secundum futurum usum, non secundum absolutam capacitatem et potestatem, et hanc esse Augustini mentem, ex dicendis in sequenti testimonio apertius ostendetur.

18. *Explicantur alii loci sancti Augustini.* — Eandem interpretationem habet alter locus de Prædest. Sanct.; Augustinus enim ibi non dicit, Deum non omnes, quos docet, ita docere ut possint venire ad Christum; sed dicit non omnes ita docere ut veniant, quod verissimum est, etiamsi primum sit falsum absolute, et in sensu diviso loquendo, ut explicatum est; dicit præterea, cum posset Deus omnes ita docere ut venirent, id est, efficaciter seu congrue vocare, nolle id facere, idque unum esse ex occultis mysteriis Dei, in quo et misericordia in quibusdam et in aliis iudicium ostenditur. Unde cum ait: *Quos autem non docet, iudicio non docet*, intelligendus est: Quos sic non docet, id est, ut ita veniant, nam alio quidem modo etiam eos docet sufficienter ut venire possint, et veniant si velint; iudicium vero seu mysterium est, quod non aliter eos docet cum possit; nec inde sequitur inefficaciam talis doctrinæ Dei ex Dei ordinatione provenire, sed ex permissione tantum, ut explicatum est; et simili modo limitandum est quod dicit, cum, prædicatore insonante, aliqui non credunt, eos foris audire, intus non audire nec discere, id est, non ita interius audire ut discant; nam quod interius etiam aliquo modo audiant, necessario dicendum est ut auxilium sufficiens recipiant, juxta dicta in cap. 2.

19. *Quomodo credere potuissent qui relictii sunt, ut ait sanctus Augustinus.* — Quando idem dicit aliquibus non esse datum ut crederent, intellige, secundum divinam præscientiam. — Tertium denique testimonium eodem fere modo facile declaratur. Sed imprimis notandus est ille modus loquendi Augustini de Tyriis et Sidoniis: *Relictii sunt qui etiam cre-*

dere potuissent. Nam sensus est relictos esse qui credidissent, si talia signa vidissent; hoc enim affirmavit Christus in verbis proxime sequentibus; loquitur enim Augustinus per verbum *potuissent*, vel intelligendo potestatem in actum reducendam, vel intelligendo etiam secundum præscientiam, quæ futurum effectum includit, et ita constat hanc esse phrasim Augustini, ut in primo testimonio interpretati sumus; quam sumpsit ex simili loquendi modo Christi Domini, cujus verba ibidem allegat, qui de Judæis dixit: *Propterea non poterant credere, quia de illis dixit Isaias: Ecce caeca cor populi hujus, etc.*, Joan. 12; *propterea non poterant, quod nolebant*, ut ibi ait Chrysostomus, et Prosper ad objectiones Vincent., in 6; tamen, quia Deus illam voluntatem eorum præsciebat, ideo in sensu composito non poterant; et sic etiam non erunt obscura sequentia verba Augustini: *Quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent erat negatum*; ait enim non esse eis datum credere secundum prædestinationem divinam (nam hæc etiam est usitata locutio Augustini); supponit autem Augustinus efficacia auxilia ad exequenda media prædestinationis ab electione divina descendere, seu a proposito, ut loqui etiam solet Augustinus; et ideo ait, *quos Deus non eligit ad salutem, vel ad fidem, etiam non dedisse eis unde crederent*; non quia eis negaverit unde possint credere, nec quia aliquid ex parte sua negavit, ratione cujus non sunt usi illa potestate, nec crediderunt, sed quia negavit illis, vel dare noluit etiam vocationem qua de facto crederent, quam ipse non ignorabat, et dare potuisset; et eundem sensum habent ultima verba, ut facile consideranti patebit.

CAPUT VII.

UTRUM AUXILIUM SUFFICIENS DETUR INTERDUM PRÆDESTINATIS, VEL SOLIS REPROBIS.

1. *Status quæstionis.* — *Hæretici negant dari auxilium sufficiens reprobis.* — *Probatur ex Patribus et ratione.* — Hactenus explicuimus quid sit auxilium sufficiens, et quas spirituales vires quæve auxilia includat; nunc superest videndum quibus et quomodo detur. Omnium autem hominum multitudo (idemque est de Angelis) in duas classes, prædestinatorum et reproborum, distinguitur, quæ partitio sumitur per diversum ordinem ad consecutionem ultimæ beatitudinis, ad quam etiam hæc auxilia ordinantur, ideoque imprimis,

per comparisonem ad illa duo membra, explicandum a nobis est quibus detur auxilium sufficiens; et in præsentibus duo inquiruntur, unum, an reprobis detur, aliud, an detur prædestinatis, vel sit proprium reproborum, saltem quoad illum modum quo dici solet proprium quod alicui soli convenit; et in priori quidem puncto, hæretici hujus temporis negant dari auxilium sufficiens reprobis, sed tantum electis, et pro eadem sententia refertur Cosmas Philiar., quæst. singulari de prædest., cap. 22, et videtur favere Isidorus, lib. 2 Sentent., cap. 5, § *Spiritualis*; ait enim spirituale auxilium solis electis dari; ratione idem suaderi potest, quia reprobis vel non datur sufficiens gratia ut ad fidem veram convertantur, vel saltem non datur ut credentes justificentur, vel denique non datur ut semel justificati usque ad finem in justitia perseverent: ergo simpliciter non datur eis auxilium sufficiens ad salutem. Consequentia evidens est, quia sine fide, justitia, et perseverantia in illa, salvari non possunt.

2. Antecedens quoad primam partem probatur, quia credere non possunt nisi trahantur a Deo, dicente Christo Domino: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Venire autem est credere, dicente eodem Domino: *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*, ut ibi et sæpe alias Augustinus exponit; at multi reprobi non trahuntur a Patre ad Christum per fidem, ut experientia docet; ergo illi non possunt credere; ergo non accipiunt auxilium sufficiens ad credendum, nam auxilium sufficiens dat posse, ut diximus. Idemque argumentum de secundo membro fieri potest, quia sicut non potest quis venire ad Christum per solam fidem, nisi trahatur, ita nec potest venire per fidem vivam, seu per vitam fidei, quæ est charitas, seu per fidem quæ per dilectionem operatur, nisi etiam trahatur; nam quod Christus ibidem dixit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in ipsum*, non minus de fide viva quam de sola substantia fidei verum est; at vero multi credentes non trahuntur ut diligant; ergo nec ipsi credentes, si reprobi sint, accipiunt auxilium sufficiens ad amandum, et consequenter nec ut justitiam consequantur. Denique tertia pars probatur, quia nemo potest perseverare sine speciali perseverantiæ dono; sed hoc non datur reprobis: ergo non possunt perseverare; ergo non recipiunt auxilium sufficiens ad perseverandum.

3. *Contraria sententia est dari proprie re-*

probis. — *Et probatur ex sancto Augustino. — Confirmatur ex D. Paulo.* — In contrarium autem videtur hoc auxilium sufficiens ita esse proprium reprobis, ut in prædestinatis locum non habeat, nec illis detur; quia auxilium sufficiens, prout distinguitur ab efficaci (sic enim de illo agimus), tale est ut non consequatur salutis effectum: sed prædestinatis non datur tale auxilium, sed illud quo comparatur certissime salutis effectus; ergo. Minor patet ex definitione prædestinationis tradita ab Augustino, lib. de Dono persever., cap. 14: *Prædestinatio est præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* Beneficia ergo et auxilia prædestinatorum semper sunt efficacia; ergo illis non dantur auxilia sufficientia; ergo necessario dantur reprobis, alias nullis darentur; et solis illis, quia omnes non prædestinati sunt reprobi. Et confirmatur ex Paulo ad Rom. 8, dicente: *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt Sancti*, qui sine dubio sunt prædestinati; nam illos *elegit Deus ut essent Sancti, et immaculati in conspectu ejus, in charitate*, ad Ephes. 1; et Augustinus sæpissime exponit. Ergo, teste Paulo, prædestinatis omnia cooperantur in bonum; omnia ergo media salutis, ac subinde omnia auxilia sunt in illis efficacia, quia sunt illis ad salutem utilia, hoc est enim cooperari illis in bonum; et rationem insinuat Paulus, *quia secundum propositum* (utique Dei) *vocati sunt*, id est, ex absoluto decreto quod Deus habuit de illorum sanctificatione perpetua, ex quo proposito non oriuntur nisi media et auxilia efficacia; unde sumpsit Augustinus modum illum loquendi, in illo frequentissimum, de vocatione ex proposito, quam dicit esse efficacem et propriam electorum, ut in sequenti libro videbimus; ac denique significatur a Paulo in verbis sequentibus: *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui; quos autem prædestinavit, hos et vocavit*, utique ex proposito; et *quos vocavit, hos et justificavit*, ac subinde efficaciter vocavit; *quos autem justificavit, hos et glorificavit*, dando scilicet illis efficacia media ad perseverandum: ergo prædestinatorum auxilia tantum efficacia sunt.

4. *Resolutio pendet a duobus quæ in gratia sufficienti spectari possunt.* — Resolutio autem hujus puncti facilis est si duo considerentur: unum est, auxilium sufficiens dici posse vel in ordine ad salutem æternam consequen-

dam, vel in ordine ad unum vel alium actum aut effectum salutis, seu de se utilem ad salutem: priori modo, ut detur auxilium sufficiens, necessarium est ut detur ad illa tria supra posita, scilicet, ad fidem, justitiam seu opera, et perseverantiam; et ratio ibi facta probat, quia hæc tria necessaria sunt ad salutem: posteriori autem modo potest aliquod auxilium esse sufficiens tantum ad credendum, vel tantum ad sperandum, et sic de aliis, ut per se notum est. Aliud considerandum, est, licet homines omnes vel sint prædestinati, vel reprobi, nihilominus posse utrosque considerari, vel præcise, quatenus prædestinati vel reprobi sunt, vel secundum quamdam communem et abstractam rationem, qua subsunt generali providentiæ Dei, quæ non specialiter ad prædestinationem vel reprobationem, sed ad communem totius universi providentiam pertinet: nam licet quis sit reprobis, non semper operatur ut reprobis; et e converso, licet aliquis sit electus, non semper operatur ut talis. Unde etiam fieri potest ut multa auxilia gratiæ conferantur prædestinatis, non ut prædestinati sunt, id est, non ex peculiari proposito efficaci salvandi illos, sed ex generali providentiæ, qua Deus nemini negat generalia subsidia, et unumquemque motus suos agere sinit. De reprobis autem aliter loquendum est, quia illis non dantur auxilia gratiæ, ex reprobatione illorum, quia damnatio non est ex primaria intentione Dei, sicut glorificatio; nihilominus tamen dici possunt quædam auxilia dari reprobis, cum præscientia et permissione damnationis ipsorum, quia prævidentur illis abuturi, et nihilominus eis dantur cum tali permissione. Alia vero auxilia eis dari possunt cum præscientia alienius fructus et utilitatis, quæ dici possunt dari illis non ut reprobi sunt, sed ut prædestinati secundum quid, utique ad fidem, vel temporalem salutem; quæ quidem auxilia possunt in reprobis esse suo modo efficacia, ut libro sequenti dicemus, nam ad materiam de auxilio efficaci id pertinet.

5. *Gratia tantum sufficiens propria reprobis, id est, eis solis datur, non vero prædestinatis.* — *Probatur assertio.* — Dico ergo primo: auxilium tantum sufficiens ad salutem æternam consequendam proprium est reprobis, quoad hoc quod solis illis datur; non assero nunc dari omnibus reprobis, hoc enim tractandum est specialiter in sequentibus; sed dico dari reprobis, non vero prædestinatis. Utraque pars est certa et facilis. Nam de prædestinatis evidenter eam probat ratio, et testi-

monia secundo loco posita, quia non negamus auxilia data prædestinatis esse sufficientia, sed negamus esse tantum sufficientia, id est, incongrua et carentia effectum, quia sicut prædestinatio non potest carere effectum, ita neque auxilia omnia, quæ ex vi prædestinationis præparantur electis, possunt effectum æternæ salutis carere. Non possunt ergo tantum esse sufficientia, saltem in sensu composito, nimirum quatenus *ex prædestinatione seu proposito Dei procedunt.* Et inde concluditur altera pars. Nam auxilium non dicitur sufficiens tantum in ordine ad singulos actus hujus vitæ, vel tantum in ordine ad temporalem justitiam, sed etiam in ordine ad gloriam consequendam, ut probant omnia in superioribus adducta; ergo tale auxilium aliquibus hominibus datur; sed non prædestinatis; ergo reprobis.

6. *Instatur, et instantiæ respondetur.* — Dices: si illi sint reprobi, supervacaneæ datur illis auxilium sufficiens ad salutem. Item, si Deus dat illis tale auxilium; ergo dat ut est tantum sufficiens; ergo ex instituto quærit Deus occasiones in quibus det auxilium, ita ut sit incongruum. Respondeo Deum non dare hoc auxilium reprobis, ut reprobi sunt, sed ut sunt ordinati ad vitam æternam consequendam, et ideo non est supervacaneum in illis tale auxilium, sed est maxime necessarium, ut per Deum non stet quominus homo salvetur, ut vere non stat, alioqui, *quomodo judicabilis Deus hunc mundum?* Quia ergo vult Deus, antecedenter saltem, salvare hos reprobos, eis dat auxilia sufficientia; quia vero illos non efficaciter prælegit, dat illis auxilia quæ tantum sunt futura sufficientia, non tamen intendendo exclusionem efficientiæ, sed permittendo. Nam, cum auxilium hoc ita sit sufficiens ut de se possit esse etiam efficax, si homo velit, ut tale datur a Deo; quod vero non sit in re futurum efficax, non intenditur a Deo, sed prævidetur et permittitur. Et ita supposita præscientia, verum est Deum dare hoc auxilium reprobo, ut tantum sufficiens est, ita tamen ut, ex duobus quæ in illo termino exclusivo junguntur, scilicet sufficientia et carentia effectum, primum sit intentum a Deo, et secundum permissum. Neque inde sequitur Deum captare occasiones incongruitatis, quia non præcessit intentio, vel propositum damnandi reprobos, priusquam illo tractandum est specialiter in sequentibus; sed dico dari reprobis, non vero prædestinatis. Utraque pars est certa et facilis. Nam de prædestinatis evidenter eam probat ratio, et testi-

electio, et inde oritur ut, licet Deus prævideat auxilia non futura esse congrua, nec danda temporibus opportunis, id non impediatur, sed toleret ac permittat.

7. *Gratia sufficiens datur, etiam prædestinatis, ad particulares effectus.* — *Probatur assertio.* — Dico secundo: auxilium tantum sufficiens ad aliquos particulares actus, vel effectus, etiam prædestinatis datur interdum: hoc est clarum, et de fide certum. Primo, quia prædestinati sæpe peccant, et a tentatione vincuntur, cum tamen auxilium sufficiens habeant ad tentationem vincendam, alioqui non peccarent, ut de Adamo, qui prædestinatus fuit, dixit Augustinus lib. de Corrupt. et grat., cap. 11 et 12. Secundo, quia sæpe vocatur a Deo prædestinatus ad opera majoris perfectionis, quæ non facit: recipit ergo tunc auxilia sufficientia ad talia opera, quæ inefficacia ab eo redduntur per liberum arbitrium. Tertio, quia ad certitudinem prædestinationis satis est quod tot et tanta auxilia in prædestinato efficacia sint, quot ad consequendum gradum gloriæ, ad quem est præelectus, sufficientia; fieri autem potest ut multo plura habeat auxilia, quæ si efficacia essent omnia, meritum prædestinati cresceret ultra terminum gloriæ, ad quem fuerat destinatus. Ergo non solum fieri potest, sed etiam, ex hypothese, necessarium est ut multa auxilia sufficientia in prædestinato sint inefficacia.

8. *Cur Deus plura det prædestinato auxilia quam efficacia, etc.* — Sed interrogari potest primo, cur Deus conferat prædestinato plura auxilia quam illa efficacia, quæ adæquate respondent illi termino gloriæ, ad quem illum elegerat. Responderi potest primo cum D. Thoma, quæst. 6 de Verit., art. 3, nullum auxilium præveniens de se esse efficax, et ideo Deum plura auxilia providere prædestinato, quam essent simpliciter necessaria: ut si unum vel aliud reddatur inefficax, alia tandem sint efficacia, et terminus destinatus infallibiliter obtineatur. Sed hic modus non est ita intelligendus, ac si Deus, in modo suæ providentiæ, vel confuse vel ignoranter procedat, quasi tentando plura media, ut si unum non successerit, aliud tandem operetur. Hic enim gubernandi modus imperfectionem involvit, ideoque nulla ratione in Deo admitendus vel cogitandus est, quia ejus providentia certissima est in singulis, et priusquam decernat dare auxilium, præcognitum habet, an futurum sit efficax, necne, ut postea videbimus. Intelligendum est ergo Deum

ita providere suis prædestinatis, ut regulariter per ordinarias causas et media pro omnibus destinata illis provideat, eosque suos motus agere sinat, non solum necessitatem eis non inferendo, verum etiam nec copiosiora auxilia quam generales causæ gratiæ postulant, illis tribuendo. Hinc ergo, quasi morali consecutione necessaria, fit ut multa auxilia sint in eis inefficacia, quæ quidem inefficacia, cum non sit a Deo intenta, sed permissa, non oportet aliam rationem illius permissionis quærere, nisi quia non oportet, propter prædestinationem, ordinarium cursum causarum et libertatis impedire aut immutare; solum enim id facit Deus cum prædestinato, quando prævidet sine specialissima providentia, vel abundantioribus auxiliis illum non esse consecuturum terminum electionis suæ. Quoties autem ordinaria auxilia sufficiunt, et, licet interdum inefficacia sint futura, tandem plura, vel quæ satis sint futura, sunt efficacia, per illa omnia Deus prædestinatum ordinat ad gloriam, et ita fit ut cum auxiliis efficacibus simul aliqua inefficacia recipiat.

9. *An auxilia sufficientia sint effectus prædestinationis?—Talia auxilia non dantur prædestinatis, ut sunt inefficacia, sed ut possunt esse efficacia, si prædestinatus velit.*—Deinde quæri potest an talia auxilia inefficacia dentur prædestinato, ut prædestinatus est, vel sub alia ratione, in qua etiam alia interrogatio continetur, videlicet, an hæc auxilia sufficientia sint effectus prædestinationis. Ad quæ breviter respondeo, si consideretur auxilium sufficiens quoad carentiam efficaciam, per se loquendo, sub illa ratione non dari prædestinato ut prædestinatus est, sed potius permitti in illo, quia ad majorem gloriam non est electus. Probatur, quia illa inefficacia auxilii etiam in prædestinato non est a Deo, neque ex intentione ejus, quia nunquam est aliquid boni, ideoque tantum est permissa: ergo per se non conducit ad terminum prædestinationis consequendum; ergo auxilium sufficiens sub ea ratione non confertur prædestinato, ut talis est. Si vero consideretur illud auxilium quatenus de se promovet ad bonum, et potest esse efficax si homo velit, sic per se quidem intenditur et datur a Deo: per se autem non videtur dari ex peculiari intentione prædestinationis, sed ex generali providentia gratiæ, seu ex voluntate generali et antecedenti, qua Deus vult homines salvare et promovere, si per ipsos non steterit.

10. *Eadem auxilia prosunt ad finem præ-*

destinationis.—Nihilominus tamen fieri potest ut hæc auxilia, quæ in prædestinato sunt inefficacia ad effectum propter quem proxime dantur, alia ratione sint utilia, et in re ipsa aliquid prosint ad finem prædestinationis consequendum, et sub ea ratione possunt esse effectus prædestinationis, et dari prædestinato, quatenus prædestinatus est, ex intentione divina, quantum ad id boni quod est in auxilio, vel ex permissione quantum ad malum vel defectum qui in resistentia liberi arbitrii invenitur; fieri enim potest ut auxilia, quæ fuerunt tantum sufficientia, quatenus sunt Dei beneficia postea in memoriam revocata fuerint, ad gratitudinem, vel ad gratiarum actionem, et ad congruitatem et efficaciam ultimi auxilii, vel quatenus illis repugnatum est conferant ad dolorem et poenitentiam. Unde sicut permissio peccati potest esse effectus prædestinationis, ita etiam permissio inefficaciæ cujuscumque auxilii, et sicut alia beneficia divina, si eis bene utatur prædestinatus in ordine ad salutem æternam, possunt esse effectus prædestinationis, ita etiam auxilia sufficientia, quatenus magna Dei beneficia sunt, ex prædestinatione esse possunt, et homini ut prædestinato conferri.

11. *Respondetur argumentis, ac primo ad primum.*—Ad argumenta in principio posita respondendum superest, et quidem in verbis Isidori, gratia spiritualis non significat quamcumque internam gratiam, vel sufficientem, sed illam quæ congrua est, et ad salutem perducit. Ad rationem autem, quia hic non distributive, sed indefinite de reprobis loquimur, satis esset respondere Christianos omnes qui damnantur, habuisse auxilium sufficiens ad salutem, quia potuissent agere poenitentiam peccatorum, et post illam possent in adepta justitia perseverare, si velint; utrumque enim definit Concilium Trident., sess. 6, cap. 11, 13 et 14, et de poenitentia id repetit sess. 14. Item omnes qui sufficienter audiunt Evangelium, sufficiens auxilium ad credendum recipiunt, licet nunquam credant; qui vero nec Evangelium audierunt, forte non accipiunt auxilium proxime sufficiens ad salutem, vel ad fidem; accipiunt autem, saltem remote, et in præparatione voluntatis divinæ, seu quantum est ex parte Dei: quomodo autem hoc intelligendum sit postea explicabimus.

12. *Quomodo intelligitur quod Christus dixit: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*—Unde ad locum Joann. 6 respondetur, etsi multi reprobi de facto ad fidem non

trahantur, per eos autem stare quominus trahantur, et ideo etiamsi cum effectu non trahantur, auxilium sufficiens recipere saltem remote, quia Deus paratus est ad trahendos illos. Addo etiam multos non trahi cum effectu, etiamsi proximum auxilium sufficiens ad credendum accipiant, quia credere nolunt. Nam quod Christus dixit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, vel intelligitur de potestate quæ ad effectum reducat, seu (quod perinde est) habet sensum compositum, ac si diceret: Fieri non potest ut aliquis veniat, nisi tractus a Patre, et nihilominus fieri potest ut aliquis possit venire et non trahatur, quia venire non vult; vel etiam intelligi potest abstracte de tractione sive sufficienti, sive efficaci, cum partitione accommodata. Nemo enim potest simpliciter venire, nisi sufficienter, et quantum est ex parte Dei, trahatur, et nullus etiam potest cum effectu venire, nisi efficaciter a Patre trahatur: qualis autem sit hæc efficax tractio, in libro sequenti videbimus. Et quod dictum est de tractione ad fidem, de tractione item ad poenitentiam vel dilectionem intelligendum est. De perseverantia denique quomodo justis sufficiens auxilium ad perseverandum accipiant, licet postea non perseverent, infra tractando de dono perseverantiæ in lib. ult. declarandum est.

13. *Secundo, ad argumentum secundum.*—*Locus D. Pauli Rom. 8 explicatur.*—Ad argumentum secundo loco factum, respondeo probare quidem, respectu vitæ æternæ consequendæ, non dari prædestinatis auxilium sufficiens tantum, sed efficax; non vero probare quin ad plures actus particulares dentur prædestinatis auxilia sufficientia, quæ ab ipsis inefficacia reddantur. Quia sicut prædestinatio non excludit a prædestinato omne peccatum pro toto tempore vitæ, sed pro aliquo, et præsertim pro ultimo vitæ articulo, ita multo minus excludit omnem resistentiam divinatorum auxiliorum sufficientium, ratione cujus sufficientia tantum maneat, et non efficacia. Ad confirmationem autem ex loco Pauli Rom. 8, respondetur solum probare prædestinatis dari auxilia efficacia ad salutem, non tamen probare omnia auxilia quæ illis dantur esse efficacia, quia non omnes effectus illorum sunt necessarii ad salutem consequendam, ad quam prædestinati sunt; vel non omnia actualia auxilia dantur illis ut prædestinatis, seu ex vi prædestinationis, sed ex vi generalis providentiæ gratiæ, aut ob alias divinæ sapientiæ rationes. Vel denique, si dantur eis propter

aliquam eorum utilitatem, possunt simul esse tantum sufficientia in ratione auxiliorum, quia licet non consequantur actus illos ad quos per se ordinantur, et quorum esse possunt principia et causæ, nihilominus esse possunt utilia, ut occasio et materia alterius bonæ operationis, ut satis explicatum est.

CAPUT VIII.

UTRUM AUXILIUM SUFFICIENS DETUR OMNIBUS HOMINIBUS ADULTIS, QUANTUMVIS REPROBI SINT.

1. *Ratio dubitandi et assertio negans.*—*Ex D. Paulo, 2 Tim. 2, Deus vult omnes homines salvos fieri.*—*Sanctus Augustinus quomodo illum locum videatur intelligere.*—De hoc puncto disputavi lib. 4 de Prædest., cap. 1 et 3; non possumus autem hoc loco illud omnino prætermittere, ne seriem doctrinæ interrumpamus, ejusque fundamentum in alium locum remittamus: agemus tamen breviter, addendo potius nonnulla, quam dicta repetendo. Tractamus solum de adultis, quia in illis solum locum habent actualia gratiæ auxilia, ut diximus; obiter tamen, et per quamdam æquiparationem, aliquid de infantibus attingemus. Ratio ergo dubitandi est, quia Deus non vult salvare omnes homines reprobos; ergo non dat omnibus illis sufficientia media vel auxilia quibus salventur. Consequentia patet, quia Deus non dat sufficientia media, nisi quibus vult dare finem; semper enim hæc inter se proportionem servant. Antecedens vero præcipue probatur ex Augustino, qui multis in locis tractans verba Pauli 1 Timoth. 2: *Deus, qui vult omnes homines salvos fieri*, non vult intelligi secundum absolutam et universalem distributionem, sed vel cum distributione accommodata, id est, vult salvare omnes qui salvantur, hoc est, nullus salvatur nisi quem Deus salvari voluerit; vel pro generibus singulorum, non pro singulis generum, id est, ex omnibus ordinibus, seu statibus hominis, vult salvare aliquos, non tamen omnes et singulos omnium ordinum homines; ita habet in Enchirid., cap. 103, et cap. 9, ac lib. 4 contr. Jul., cap. 8, maxime significat fieri non posse, ut in illa universitate omnium hominum parvuli omnes comprehendantur; lib. autem de Prædest. Sanct., cap. 7, de solis prædestinatis distributionem intelligit, et ita videtur reprobos omnes excludere, et idem habet lib. de Corrept. et grat., cap. 14, ubi cap. 15 aliam expositionem ma-